



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Directo-||rvm Exercitio-||rvm Spriritva-||livm P. N.|| Ignatii

Acquaviva, Claudio

Ingolstadii, 1592

VD16 A 125

Capvt XVI. De iis qui iam statum habent.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60966](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60966)

exercitiis; siue quia dæmon acrius oppugnat in illo articulo electionis; siue quod natura ipsa, præsertim in iis qui timidiores sunt & pusillanimes, ut in illa quasi agonia quodammodo opprimitur & suffocatur, ita cū deinde quodammodo respirat, est melius disposita ad ratiocinandum, & percipiendum lumen Dei; siue denique, quia experientia deinde cognouerunt, se non eam vitam posse in sæculo tenere, quam fortasse in exercitiis vel ipsi sibi finxerant, vel eis dæmon persuaferat.

De iis qui iam statum habent.

CAPVT XVI.

POST TRACTATIONEM de electione ponitur à nostro Patre methodus quædam de emendatione, seu reformatione vitæ: quæ doctrina maximi momenti est pro iis, qui iam sunt in statu immutabili, vel saltem quos Deus non vocat ad mutationem status. Per hanc enim reformationem tolluntur multi abusus, qui etiamsi non sint peccata, saltem sunt origo multorum

malorum. Hac vero doctrina id agitur, ut multi qui iam uxorem, & familiam habent, licet in sæculo maneant, suo tamen modo perfectionem sectentur, ad quam nos quoque inuitare, & perducere eos debemus ex vocatione nostra; itaque passim iubent Constitutiones nostræ. Nec est dubium, quin si proximos iuuare conaremur, ac dirigere ad hanc formulam, quæ hic expressa est, valde insignis fructus sequeretur. Itaque hoc omnibus operariis Societatis valde commendatum esse deberet.

Cum his igitur hunc modum tenere oportet, ut præter exercitia ordinaria de mysteriis vitæ Christi, dentur etiam illa de duobus vexillis, & tribus hominum classibus, immo etiam præludium electionum. Hæc enim licet non adeo necessaria sint, ut iis qui de toto vitæ statu deliberaturi sunt, non potest tamen dubitari, quin valde sint utilia, ut animentur ad eam perfectionem, cuius ipsorum saltem status, ac conditio est capax. Cæterum secundus modus eligendi non valde ad hoc negotium

gotium pertinet, sed potius tertius modus, eiusque membrum vtrumque. Res autem instituenda ita est, vt singula puncta discutiantur v. g. de familia, vel de expensis, & post deliberationem factam de vno puncto, transeat ad aliud, in singulis autem maius vel minus tempus insumatur, vt fuerit negotij grauitas, vel difficultas. Aliquando enim vna hora, aut etiam plures in vno puncto insumendæ erunt, aliquando autem plura puncta in vna hora concludentur.

De tertia hebdomada.

CAPVT XVII.

IN TERTIA HEBDOMADA stabilitur, & confirmatur electio vitæ melioris iam facta, & voluntas seruiendi Deo, pposito tanto & tali exemplo, nempe passione Domini & Saluatoris nostri. In ea enim omnes eius virtutes multo insignius, atque excellentius elucent, & efficacius nos inuitant ad sui imitationem. Itaque magnus hic thesaurus reconditus est; vnde videmus sanctos omnes in

F 4

hac